

**Causa.** Conjugii. Nascens vero inde obligatio, nexu sive vinculum, est ipsa forma Conjugii. Cohabitatio vero & concubitus est, usus Conjugii.

65. Sponsalia de presenti faciunt matrimonium initiatum & ratum. Copula carnis subsequens facit conjugium consummatum.

66. Sponsalia de futuro etiam jurata dissolvuntur, si subsequuta sint alia sponsalia de presenti.

67. Incestæ nuptiæ sunt, quæ contrahuntur inter sanguineos, vel affines in gradibus prohibitis.

68. Gradus prohibiti jure divino non admittunt dispensationem.

69. Jure Civili patruelæ & Consobrini matrimonio jungi possunt.

70. Pontificiæ Constitutiones sanxerunt, consanguinitatis gradum usque ad septimam generationem servandum.

71. Nostræ Ecclesiæ prohibitiones extendunt, usque ad tertium gradum lineæ æqualis: Et quidem aliquæ exclusivè, aliquæ inclusivè.

72. Affinitatis etiam gradus, qui sic vocantur ad imitationem consanguinitatis, observandi sunt.

73. Et notetur Regula; In conjunctione non tantum quid liceat, sed etiam quid honestum sit, spectandum est.

74. Quæ de secundo & tertio genere affinitatis antiquitus constituta sunt in jure Pontificio, merito sunt abrogata.

#### DISPUTATIO XIV.

##### *De Prædestinatione & Reprobatione ex Königio.*

i. Prædestinationis vox non excellentiæ, sed ordinis respectum involvit, quatenus est omne tempus antecedens destinatio 2. Tim. I. 9. Eph. I. 4. \*

2. Scriptura Sacra nullius nisi prædestinationis ad vitam mentionem facit. 1. Thessal. V. 9. \*

3. Electio stricte sic dicta ex mente Scripturæ S. omnino præsupponit propositum & prævisionem. Eph. I. 11. Rom. VIII. 28. 29. 2. Thess. II 13. \*

4. In prædestinatione quidem nulla nostra merita prævisa sunt, prævidit tamen DEUS sub ordinis notione, fidem nostram finalem, verum nequaquam tanquam causam moralem instrumentalem minus principalem. Hebr. III. 6. 14. Rom. XI. 5. 6. Eph. I. 6. \*

5. In